

in finem Orfila aquam chloratam (seu acidum muriaticum oxygenatum aqua solutum) commendavit eamque consiliis nostris Lene convenire probavit.

Ratio autem inquirendi, quam Orfila praescripsit, haec fere est: solutioni metallica cum decocto coffeae seu alio liquore, qui organico pigmento tinctus est, mixtae tantum aquae chloratae additur, ut solutio inde subflavum colorem accipiat; chlorum enim pigmentum destruit, ejus hydrogenio potiens, et flocculi rubelli, qui interdum decidunt, reliquias destructae illius materiae organicae sistunt; tum liquor colatur et evaporatione, quae simul chlorum, quod adhuc continet, expellit, denuo concentratur. Quo facto apta ad venenum cognoscendum, de quo quaeritur, reagentia adhiberi possunt, quorum effectus fere semper iidem erunt, tanquam substantia venenata commixta non fuisset. Excipiendum tamen est hydrargyrum muriaticum corrosivum, quod, si decocto coffeae commixtum est, gase hydrothionico, cupro et argento nitrico item, uti in solutione simplici, praecipitatur; si vero aliis reagentiis, uti Kali, Natro, Ammonio, Kali ferrocyanico et salibus carbonicis ad ejus praesentiam explorandam uti velis, opus est, colorem antea, uti descriptum est, chlori ope extinguere.

III. PARS DIAETETICA.

Perlectis et inter se comparatis iis, quae de usu coffeae medici literis mandarunt, valde mirabimur, intelligentes, coffeam modo magnis laudibus elatam, modo damnatam esse, ita ut affirmare posse credam, in medicina vix aliquod remedium esse, vel a natura productum, vel arte factum, de quo sententiae medicorum nostrae aetatis adeo inter se discrepent.

Jam ex illo tempore, quo in Europa decoctum coffeae innotuit, ejusque usus divulgatus est, multos laudatores, sed fere perinde magnum numerum